De

Claustris Svio-Gothicis,

Disquisitio Historico-Ecclesiastica,
cum Thesibus varii argumenti Theologicis,

cujus Particulam VI

Auctoritate Max. Ven. Theol. Ord. Lundens.

pro Examinibus Sacerd. et Pastor.

P. P.

PETRUS WIESELGREN,

Respondente

BROR NORE HOLM,

Blekingo.

In Acad. Carol. Audit. Maj. die XXVIII Novemb. MDCCCXXXII.

Londini Gothorum MDCCCXXXII.
Typis BERLINGIANIS.

Konglig

Hof-Predikanten, Prosten och Kyrkoherden

Högärevördige och Höglärde

Herr CARL HOLM

samt

Högädla Fru Prostinnan

SARA MARGAR. BERGHMAN,

De Huldaste Föräldrar

Vördnadsfullt tillegnadt

af

Sonlig kärlek.

Jak lofvar ider a mina Troo,
At när vij vinna Örabroo,
Aff Slottet vilia vij ett Clöster göra,
Ok Engilbriktz Lijk ther strax införa:
Jak veet at thet är Almogens bästa,
Tha blifven i oskattede ok oförgästa.
The Bönder gladdes alle tha,
Ok svoro at the skulde Husit faa.

Öregrund vide *Roslag.*

Claustra Certi Ordinis.

Præmittenda.

Omnis cultura societatis est fructus humanæ. In culturam Suecicam nostrum cum gentibus transbathicis commercium multum igitur valuerit, necesse est, nec mirum, si epochas culturæ omnino constituat. Quæ epochæ, respirationum instar, jam gentes transbalthicas arva nostra petentes, jam gentem cisbalthicam extera littora resalutantem ostendunt. I. *Migrationes gentium* efficiunt, ut populus cultu Odinico instructus montes Scandinavicos quærat. II. *Wikingismus*, qui Patres nostros patriæ priscæ memores ad longinquas terras reduxit, cultui Christiano Heringarii populares maturos reddidit. III. *Monachismus* Europæos variarum nationum ad Scandinavos sacris Christianis initiandos emisit, tandemqne natos regni Reformationi præparavit hic intimus & semper mobilis Religiosorum cum exteris nationibus usus. Cui emortuo qui connexus successerint, hic e re esset enodare. *Monachismi* vero ætates proponamus.

a) Sub Catholicismo:

1. Ætas *Benedictinismi* s. *Scholæ Germanicæ.* Efflōruit regnante Björn at Haugi (800); *Missionariorum* indolem servat. Ad *delubra paganismi*, ubi populus, religionis ergo, confluit, Seminaria Ecclesiastarum & Scholas populi exstruxisse perhibetur, quæ institutiones *hujus ætatis claustra* haberi possunt. Vestigia apparent ad Biörkö, Sigtuna, Upsala, Lund, Gudhem &c. Ipsa vitæ religiosæ indoles ex Ansgario solo judicari potest. Quantum eo

tempore fieri forsan potuit, *pura* in illo elucet religiositas, populique animos in melius convertendos curans.

2. *Cluniacismi s. Scholæ Anglicæ.* Effloruit regnante Olao Skötkonung (1000). Etiam Missionariorum indolem præ se fert, etiam ad *delubra* domos exstruit. Sed radicibus fixis in altum tendit. Nomadica religiositatis vita relicta Ecclesias fundat immobiles. Episcopalis in Anglia Ecclesiæ semen in ipso germine cognoscitur. *Episcopatus* multi crescunt. Religiositatis hujus genius cum pulchris artibus conjungit religionem religiososque ab operibus manuum sejungit. Claustra enumerantur Eskilli Eskiltunense, Sigfridi Gelbogense, Davidi Munkatorpense &c.

Obs. Huic Scholæ in *Dania* comes erat *Augustiniana*, quæ *Litteraturæ* consuluit, Scholas philosophicas ædificans. Lundæ & in Draksmark Bahusensi tales emicant. Canonici Augustiniani Episcopos ubicumque cingere coeperunt. *Præmonstratenses* quidam, regulam Augustini professi, in Scania obvii.

3. *Cistercismi s. Scholæ Gallicanæ.* Effloruit eodem sæculo, quo Ericus Sanctus in throno emicuit (1100). E Gallia ortus hic Monachismus *Utile* anhelabat. Vitam activam contemplativæ præpossuit, Cluniacencibus se opponens. Agriculturæ horticulturæque aptissima loca Bernhardi discipuli quærebant, Sic *ruri* domos exstruxerunt e. gr. Alvastra, Nydala, Risaberga, Skogkloster, Warnhem &c. Opus manuum contemplationi prodesse docuerunt; sudantes in opere rustico psalmos cantaverunt. Regni florem augendo omnigenum studuerunt. At jam Auri, non Martyrii fames Missionarios huc traxit. Qui in Europa jam surgerat Papismus seu Catholica fides depravatissima patriam nostram nanciscebatur.

b) Sub Papismo.

4. *Franciscanismi* & *Dominicanismi* s. *Scholæ Italicæ* & *Hispanicæ.* Coepit sæculo sequenti (1200). E terris transalpinis maturatam depravationem medii ævi huc secum portabant *Potestatemque* quærebant papismi satellites nequioris. In *urbibus* igitur claustra ædificant, pleræque Suecicæ brevi talibus insigniuntur egr. Arboga, Arosia, Calmaria, Enecopia, Halmstadia, Holmia &c. &c. Litteris interdum & scientiis practicis vacant, sed sibi ut melius prosint. Populo educando parum operæ impendunt.

Obs. Æquilibrium potestatis papalis constituit hierarchia Suecica Sacerdotii *Augustiniani.* *Johannitæ* & *Antonitæ* passim observantur, qui viis &

pontibus faciendis, hospitiis in desertis itinerantibns & ægrotantibus parandis student.

5. *Brigittinismi* s. *Scholæ Suethicæ*. Surrexit, cum jam fructifera in Suecia Catholicismi plantatio fieret (1300). Probaretur enim, Sveciam progignere posse quidquid laude & admiratione sua provocet Europa & in nulla re ab aliis gentibus esse vincendam. In Brigittinismo primæ Theologiæ & Philosophiæ umbra apud nos apparet. Bibliis in vernaculam vertendis vacantes Reformationisque sententias interdum balbutientes novi rerum ordinis præcursores Fratres hujus ordinis habeantur. Totam vim Monachismi Suethici in se quasi hic Ordo comprehendit, visionibus Ansgaricis gaudens, Episcopis favens, operibus manuum Cisterciensium more vacans, Bibliothecas cum Fratribus majoribus & minoribus condens, Papam fulciens, artibus & diciplinis studens. Swedenborgianismo, *alteri* Suethicæ theosophiæ, Revelationes viduæ Birgittæ in multis consimiles. *Aniles* vero visiones veritati religionis Christianæ minus, quam *Seniles*, repugnant.

In ultimo medii ævi stadio (1400) *Carmelitæ* & *Carthusianæ* passim in Svecia cernuntur. — Cui argumentis opus, ea ubi de singulis ordinibus agitur benigne quærat.

II. S. Antonii Ordinis

Licet sint plures Ordines S. Antonii nomine insigniti, Suethica claustra sine dubio omni S. Antonii Vienensis tutelæ se commendarunt. Illius Ordo in Dania inclaruit, Olaus Petri, qui Örebrogiæ, Claustris S. Antonitarum vicinæ juvenescerat, de vestimento hujus Ordinis adfert: "*Anthonither*, *the haffua svart clädhe med itt blått Anthoni kors ther udthi.*" v. Troils Handl. II: p. 10 T coeruleum a Fratribus S. Antonius Vienn. in pectore portari jussit. Spegel & Sparrman S. Francisco illas dicant Eremitarum domos, quas S. Antonio inscripserunt Vastovius & Messenius. His sine dubio major habenda fides.

S. Antonii Magni nomen respici, ipsa idea Ordinis probat. Ille enim (nat. 251, ob. 356) perigrinantium patronus. Magnum ni fallor est, in Ægyptiis desertis hospitia super orbem ædificanda constituere, & alios tali fervore accendere, ut tandem (post millenium!) talia in ipsa sylva Tiveden Svecica surgant nomine institutoris insignita. Scandinavica etiam

S. Antonii claustra ægrotorum curatores sustentabant 1) In exteris sub miraculorum herba, anguis forsan latuit medicæ artis.

Epistola Clementis Papæ IV. filio Abbati Montis-Majoris Arelatensis diœcesis de Eleemosynis ad corpus S. Antonii factis de qua Rhyz. p. 348, hæc est:

"Cum villa S. Antonii sit principalis Ecclesiæ seu prioratus 2) S. Antonii ad tuum Monasterium pertinens, cujus quidem prioratus tu rector exsistis, in quo corpus sancti requieseit, quod frequentat multitudo, sit & in villa eadem domus magni nominis quæ hospitale vel Eleemosyna S. Antonii appellatur, in qua domus & fratres ejusdem illos recipiunt, qui morbo quem ignem S. Antonii vulgus appellat, miserabiliter laborantes ad ejusdem sancti limina visitanda spe salutis veniunt obtinendæ. Quæsivisti a nobis utrum legata quæ b. Antonio vel ibi vel alibi relinquuntur nec non promissiones & vota quæ sancto fiunt eidem, dictæ Ecclesiæ seu prioratui in qua sunt sancti ejusdem corpus pariter et altare; an ipsi hospitali s. Eleemosynæ ubi recepti pauperes ejusdem sancti precibus, cujus prius altare visitant, miraculose curantur, licet ibi ejusdem Sancti non sit corpus nec altare, debeant assignari. Nos igitur consultationi tuæ breviter respondentes ex recta & propria assignatione verborum si legantis, promittentis, voventis voluntas, alia non appareat in assecutione legatorum, promissorum & votorum hujusmodi Ecclesiam ipsam dictæ Eleemosynæ dicimus præferendam. Datum Viterbii XVI. cal. Aug. an. III 3) *Thesaur. Anecd. T. II.* p. 509.

42. (?) K u m l a.

Monasteriologi.

Vastovius: Cumlaboda in sylva Tiveden, Fratr. Eremitarum s. Antonii. (*Sparrmanni* n. 35 Laboda, in sylva Tidweden Fratr. Eremitarum S. Franc. ad Ramundaboda referendum videtur) *E. M. Fant* Descript. Nericiæ p. 11.

---

1) Helyot I: p. 162, in Indice p. 2. Convers. Lex. VII Aufl. I: p. 340. Daug. p. 32. (Til de Syges Pleie blevo mange Lægbrödere optagne). Quantum religiositati medii ævi nos debemus, qui nihil volumus serere, *posteris* tantummodo fructiferum! Nos tamen atavos despicimus. Quid ex nepotibus nobis accidet?

2) Iste prioratus in insignem Abbatiam auctoritate Bonifacii VIII conversus est apud Ordinis S. Antonii in dioc. Viennensi a jurisdictione Abbatis Montismajoris omnino segregatus. L. c.

3) Nempe Papatus sui, i. e. 1267.

Geyer & Afz. Sv. Folkw. III. n. 97, illustrantes carmen, quod inscribitur *Elisif Nunna i Risberga kloster*, ab Episcopo illis, quos canit, coævo compositum, addunt effato "Kumlabo kloster," judicium, hoc a Rhyzelio improbatum claustrum recipiendum esse. Vicinum claustro Risabergensi exponitur. Virgine, de qua p. 52, abrepta,

De färdas så fram i fullo mak,
Till Kumlabo kloster de rida.
De budo Herr Hugo, i Klösteret var,
Han ville dem tillsammans wia
    Herre Christ radi for oss allom.
Den Gudlika man han swara swa brott
Bevara mig Gud fyr dätta,
Stoltz Elisif deth helighe löffte ingått,
Deth lärer hon aldrig oforrätta.
    Herre Christ &c.
Kong Albrect frå Kumblabo kom
Ja vårda sa han hvad deth kostar
Den Helige Fader som sitter i Rom
Stoltz Elisif Herr Bernhard måste gifva.

De raptu Sabinæ illius plura habes in *Cistere. Riseberga* & *Jnc. Ord. Varnemo.* De Kumlaboda hæc attulit Fant l. c. "Ceterum haud levis suspicio est, fuisse hac in paroecia (Kumla) olim Monasterium. Mentionem ejus injicit vetusta in codice Ecclesiæ facta annotatio: Fordom Kyrkowärden Nils Sunison i Kumbla by, den då förtiden äldste man i Kumbla Socken, säger att - - Ekaby tegarne lydt till Kumbla Klockare bol och förmenes att de kommo derunder, när Hörsta kloster förstördes." Etiam observandum esse in Campana Minori Kumblensi legi:

Antiquis quondam Monachis audita Metallo
Jam nova Kumlensi servio fusa gregi.

Quæ *Sparrmam* adnotat in append. p. 1. de collegiis in Sudermannia Nycopia & Kumbla, Nericicam non refert.

Conclusio

Sit hæc. In silvatico hoc Svethiæ & Gothiæ confinio Claustrum erat quod Vastovius audiverat S. Antonii esse Ordinis. A. 1316 nondum exstructum videtur. In Testam. R. Magni II. & R. Blancæ verba: "Kumbla kirkin i Nærikkin tyu mark til messuclæþa "(Skand. Handl. XII. p. 25) inter do-

nationes claustrales locum tenent. Si jam claustrum surrexisset, non dubito, quin regia gratia idem amplecteretur A. vero 1380 — 90 sub Abbate Hugone, qui Regi se fortiter opposuit, florebat. Usque ad tempus reformationis ad vicum Horsta situm superstes, Ecclesiastico ministerio remunerando jam inserviit.

Laboda Sparrmanni et
Lassåna Spegelii Vide in
Ramundaboda.

43, (†*). Mörker.

Claustrum Ord. S. Antonii.

Monasteriologi

tacent, at *Lagerbr. S. R. H. IV.* p. 315. "Man kan nämna att i Wermland är en sjö som heter Mörker; kan hända att klostrets namn är taget deraf, *Diploma, quod refert Lagerbring*: "Universis Christi fidelibus ad quos præsentes pervenerint Wilhelmus Magister et Præceptor *domus S. Antonii in Mörker* salutem in eo qui est vera salus. Noscat Universitas vestra, quod Christinam Sanjes dotter ad fraternitatem Ordinis S. Antonii suscepi, faciens ipsam participem omnium bonorum operum, quæ die nocteque in dicta domo Mörker, nec non in CCC & LXIIII Monasteriis ejusdem Ordinis fiunt & exercentur. Spiritualiter enim . . . dum ipsam mori contingeret, si personaliter excecommunicata non fuerit et publice usuaria non exstiterit, quod virtute hujus confraternitatis, prout in litteris Apostolicis super hoc confectis plenius continetur in loco interdicti, Ecclesiastica sepultura ei non denegetur. Dat. an Dom. MCDXII. Ipso die b. Barbar. Virg. gloriosæ, Fraternitatis Ordinis Antonii sub Sigillo."

Judicium.

In dioecesi Slesvicensi situm est. Cl. Mohrkirken, Morker s. Mordker-Kloster dicto Magistri & Præceptores ibi præfuerunt. Si Lagerbr. evolvisset Ann. Eccl. Pontopp. II: p. 679 nihil de Wermlandia cogitasset legens: *Im Nahmen aller Brüder der Closters St. Antonii zu Mordkiar des Sehleswigschen Stifts gab Magister Paulus Winter* - - - & si Daugaard Lagerbr. l. c. offendisset, diploma quoddam inter 1391 & 1462 nosset, idemque memorabile.

44. Ramundaboda

Claustrum Fratr. in confinio Westro-Gothiæ et Nericiæ.

Monasteriologi:

Messenius: "Romblabodense Antonitarum unum. *Sparrm.* Laboda in sylva Tiveden Eremit. S. Francisci." *Spegel:* "Lassona på Tiveds skogen. Fratr. Eremitar. S. Francisci." *Rhyz.*: "Ramundaboda elliest kalladt Lassåna-Kloster på Tiveden."

Situm hoc erat claustrum ubi quiescendum fuit a Nordan — ad Sunnanskog i. e. a Svethia ad Gothiam vel vice versa per silvam ingentem Tiveden itinerantibus.

An. 1275 jam ita locuples erat & opulentum ut Regem Waldemarum deliciis inertem efficere Monachi potuerint, cum Fratri Magno rebellanti resisteret. De qua re in *Chron. Rhythm. Maj. Scr. Rer. Sv. I: p.* 13.

Konungen var mädan i Ramundaboda
Ok haffde med sik Hälade goda,
— — — — — — — —
Tha lade Konungen sik neder
Ok war ther swa länge at sofva
Til striden war all ändit i Hofva:
Somma hörde mässa oc somma sato
Somma gingo ok somma ato;
Drottningen leekte Skafftavel,
Ok hugde at Hertugen haffde ingen afvel 1).

An. 1500 die Hinrici in Örebro Hans Clementis Prior & antistes Claustri S. Antonii in silva Tiveden Claustro adpropriavit mansionem Solberga, quam vendidit Nobilis Peder Olufsson in Gemingehem 2).

An. 1519 Octavo die S. Steph. Protomartiris frater Jacobus Jönsson Prior & Antistes Claustri S. Ant. in silva Tiveden Rommanaboda Episcopo Johanni Brask Lincopensi fundum Claustri dedit "liggande i Arboga sunnan vid åna." 2).

An. 1520 extra muros jam sauciatus dimicavit Steno Sture 3).

1) Cfr. W. H. A. A. H. VI; p. 160. 2) Rhyz. p. 241. 3) Celsius G. I. I: D. p. 43.

An. 1529 Monachis secundum Concil. Arosiense 1527, hinc expulsis fisco Regio rediit Monstrantia 279 lod puri argenti *Rhyz.*

Usque ad an. 1688, cum templum exædificaretur, claustrum ecclesiæ inserviit *Rhyz.*

Rhyzelius credidit Claustrum primum ad amnem, ubi jam officina metallica Lassåna sita, fundatum fuisse indeque Lassona Kloster dictum; posteaque translatum ad locum, ubi destruebatur, Boderne, olim Ramunds Boder appellatum. De Ramund Jätte vide Ramund Grips Saga.

1740 Pastor Em. Campanius traditionem adnotavit de claustri a prosapia S. Brigittæ ædificatione per architectum Ramudum, deque claustro Wadstenensium conventui subdito. Improbavit Rhyzelius, observavit tamen Tuneld VIII ed. II: p. 112.

III. S. Augustini Ordinis.

Prima quæstio est, an *Claustra* "domus" omnes hujus Ordines dici possint et in *Monachorum* numerum hi "sacerdotes" referri regulam canonicam profitentes. Huc referantur, cum primum dubitatio relata est.

S. Augustini nomen illustre. Natum hunc Lutheranismi præcursorem an. 354, ob. an. 403, notum est omnibus. Augustini Regula Ecclesiæ nostræ Suecanæ minus odiosa, quam fratres Ordinum ceterorum "in monachali larva" induti fuerunt 1). Olaus Petri cujus in ætatæ odio in omnia Monachismum redolentia *opus* erat, in *Een liten Boock i hvilko closterlefverne förclaret varder* Stockh 1528: "S. Angustini regla är mest draghen utaff Scrifftenne och hvar Munkerne henne hullo, the våre the eij såå skadhelige som the äre." Augustinum vero Ordinis regulatorem fuisse certis argumentis orba est sententia.

Varias in Familias Augustinorum Ordo divisus. In Svecia antiqua nulla hujus Ordinis Claustra agnoscit Messenius. Rhyxelius p. 301. Skenin-

1) Usque ad nostram ætatem auctores de Monachismo vel unam lineam scribentes palam profiteri *odium Theologicum* sibi necessarium duxerunt. Ipse Lagerbring negaturus claustrum in Widtsköfle adfuisse affirmat: "Prædium hoc equestre nunquam coenobitiis sordibus fuisse conspurcatum." *Mon. Scans. T. II: p.* 104. Licet ipse dubius sim, an jamjam *sine studio* & *ira* de rebus